

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

7. Alia eiusdem authoris

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

dissolvit Paracelsus in Oleum sive Elixir nobilissimum, quod arcanum esse ait in superfluitate menstruorum, puta muliebrium. Hujus Aquæ descriptio, quia clara est, alieno lumine non indiget. Proponam igitur aliud Receptum magis obscurum.

7. Aqua Vitæ Paracelsi alia.
Descript. p. 115. Chyr. min.

Rx. **A**quarum Melissæ, Rosarum, Cheiri, Salviæ, Balsami, ana libram unam; Piperum omnium, Cubearum, Zinziberis, Cinamomi, Masticis, Myrrhæ rubræ, Macis, Caryophyllorum, ana uncias duas, succi mellis libram semis. *Aquæ Vitæ rectificatæ libras quinque.* Digerantur omnia simul per novem dies, & postea separentur & in pellicano destillentur in Spiritum. Tandem ad hunc liquorem adde pomum tostum & fractum & simul unà cum subsequenteribus aromatibus digerantur super cineres per tres dies, de qua sumantur grana quinque singulis diebus. *Aromata hæc sunt.* Rx. Cinamomi, Caryophyllorum, Macis, ana uncias duas; Cheiri, Anthos, ana unciam semis; Ambræ drachmas duas; Moschi grana quinque; Zibethæ drachmam semis; Zinziberis, Cubearum, Nucis Moschatae ana unciam unam semis; Amomi drachmas duas; Zedoariæ uncias duas semis; Granorum Paradisi unciam unam semis. Post horum omnium digestionem separa, servaque vasis vitreis obstructissimis.

Ex ipsa dosi hujus præscriptionis liquet operationem esse merè Philosophicam, quod si enim per Aquam Vitæ intellectum voluisset vulgarem Spiritum Vini, omninò ridiculum fuisset propinare tantum quinque grana pro dosi.

Plura hujus generis nobis occurrunt menstrua, quæ tamen, cum paràm à pristina Spiritus Vini Phil. natura recedant, ab Adeptis aliquibus minus fuere observata; idcirco Christophorus Paracelsus, nobilis sculus, hanc non admodum laudat acuitionem Spiritus Vini Phil. Quidam, inquit, acutum fecerunt (prædictum Spiritum) cum Vitriolo, qui modus satis bonus est; quidam cum Nitro; quidam cum Cinnabari; quidam verò cum his duobus; quidam cum omnibus tribus; quidam cum Terra ipsorum;
 qui

qui modus mihi displicet, quia hac ratione crassa unctositas & ponderositas introducta fuit. Quidam Vegetabilibus sunt usi, ut sunt Herbae, Radices, Flores, Semina tibi cognita, quae in se potentes Mercurios (*Vegetabiles*) habent; hinc est, quod qui illum hoc modo tractarunt, formam ejus Vegetabilem (*unctuositatem*) potius augmentarint, quam ut magis solubilem reddiderint, *Parissinus in Elucidario pag. 231. Volum. 6. Theatri Chym.*

Hinc est, quod Ripleus Parisini condiscipulus haec pallio Philosophiae tecta esse crediderit; ita enim scribit in sua medulla Philos. Raymundus dicit, quod debeat extrahi de morte & fecibus Vini per 120 dies, per continuam rotationem in Balneo calidissimi fimi, & quod acuetur cum rebus Vegetabilibus calidis, ut sunt Piper Nigrum, Euphorbium, Pyrethrum, Anacardus, Squilla, Solatrum, Apium Sylvestre, & hujusmodi similibus; nam sine virtute harum rerum, ut ille dicit, non est sufficiens, dissolvere Metalla, nisi longo tempore, sed ut nihil dubii aut ambigui appareat, dico, quod haec omnia cooperta & tecta sunt pallio Philosophiae. Nam animus illius est, quod in hoc Spiritu habeatur aliud menstruum resolubile, quia sine tali menstruo resolutivo solutio nunquam fieri potest. Et illud menstruum resolubile generatur solummodo ex genere Metallorum, & per menstruum nostrum resolutivum producit in actum.

Ripleus pag. 168. Medullae Philos. Ripleus per menstruum resolubile, menstruo resolutivo, (id est, Vini Phil. Spiritu) in actum producit, intellexit aquam quandam mercurialem, de cujus preparatione inferius, ubi similiter patebit per praedicta Vegetabilia, intellexisse Mercurium currentem. Nihilominus tamen Vegetabilia haec aliquando quoque sumpsisse literaliter, sequens ejus probat menstruum

quod in illa...

8. Aqua Vitae Riplei

Descriptio p. 338. Viatici

Destillato menstruo à primis fecibus, fiat circulatio ipsius cum speciebus calidissimis, sicut sunt Piper Nigrum, Euphorbium, Pyrethrum, Anacardi, grana Paradisi & hujusmodi, per